

10.9

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-
CHIRURGICA

DE

CATARACTA

QVAM

PROPTIO NUMINE DIVINO

PRÆSIDE

PRO-RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICO

DN. FRIDERICO HOFFMANNO

ORDINIS MEDICI SENIORE ET h. t.

DECANO

PRO GRADV DOCTORIS

LEGITIME IMPETRANDO

d. Martii MDCCXXIX.

PLACIDÆ ERVDITORVM DISQVISIONI SVBMITTIT

AVCTOR

MAVRITIVS HEINRICVS HENRICI

HALA - MAGDEB.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

Typis JOH. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.



(102)

A C A

D N I F I L I P P I U S P R I N C I P A L I S

C O N S U L T A T I O N E S

M A

T Y P O G R A P H I C A M I L L E R I

A M S T E R D A M





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICO-
CHIRVRGICA

DE

CATARACTA.

PROOEMIUM.



Mnia organa vilceraque
corporis humani ita sunt com-
parata, ut propter structuram,
elegantiam, ac dispositionem,
actionibus viventium perfici-
endis aptam, summam admi-
rationem excitare queant. Quo
diutius enim & attentius ea consideramus, eo ma-
jor & frequentior nobis fit occasio, eorum intuitu
obstupescendi, ac ineffabilem Summi Creatoris Sa-
pientiam ac Bonitatem admirandi celebrandique.
Differunt quidem ratione formationis ac usus; aliæ
enim requiruntur partes ad perficiendum auditum,
aliæ ad respirationem aliæ ad circulationem sanqu-
nis;

A 2

nis; mutua tamen a mulatione quasi invicem certant, ut difficillimum sit statuere, quænam earum structuræ elegantia, ac symmetriæ mechanica excellentia, reliquas antecellat: Nullum certe organon præ aliis magis se distinguit, quam Visus, non solum ratione nitore, splendoris, sed etiam artificiosissimæ Structuræ. Quid enim utilius jucundiusve, quam omnia totius hujus universi opera ac creata, intimius paulo perlustrare? Visu incommoda prospicimus, prospecta postea avertimus; & gratisfimo rerum aspectu mentem oblectamur. Recte itaque *Orpheus oculos naturæ Speculum*, *Plato partes divinissimas*, *Alexander Peripateti Animæ fenestras* nominarunt. Cum vero tam multæ & variæ partes ad oculum constituendum concurrant, quæ teneriores longe & exquisitoris sensus quam vix in ulla alia; mirum non est, nobilissimum hoc visus organon, tam ab occurfantibus externis injuriis, quam a causis internis facile ac sæpe lædi, & ob id multis admodum obnoxium esse morbosis passionibus, penitiori indagine merito dignis. Sed nimis longum foret, si omnia quæ in oculos cadunt viria evolvere niterer, inprimis cum Magnif. *Dn. PRÆSES* præcipua ex illis peculiari dissertatione haud ita pridem jam excussisset. Hinc ex omni censu tantum primarium quendam affectum, visu omnino privantem, Cataractam puto, breviter perlustrandum mihi in præsentiarum elegeri. Quem quidem laborem, ut in me susciperem, induxerunt me cum aliis lites de origine & sede hujus mali, etiamnum inter Chirurgos vigentes, dum multi adhuc recentiorum causam Cataractæ,

in pellicula; liberam radorum Solarium viam impede-
dente, quærunt atque constituunt, quod tamen
cum depositione & resolutione minime convenit,
uti ex enucleatione propositi Thematidis pluribus pa-
tebit. Annuat itaque Divinum Numen conatibus
meis, largiatur benigniter vires, ut cæprus labor
in ejus gloriam, & proximi commodum cedat!

§. I.

VOx Cataracta, ut ab ejus nominis notione
exordiar, origine græca, & secundum nonnul-
los derivatur a *κατάρακτα* id est, *cum impetu*
decido, ut obex quo porta obfirmari solet, &
valvæ, quibus aquæ irruentis vim cohibere intendimus;
vel, ut aliis placet, a *καταρρέω*, *decido delabar*. Apud
Latinos, ut *Celsum* & *Plinium*, Suffusio seu *σπίχθυρα*,
Gallos Cataractæ Germanos *der Staar* audit. Est au-
tem cataracta vitium visus cum mutatione coloris natu-
ralis pupillæ, vel in albicantem, vel gryseum, glaucum,
& margaritæ similem, quo fit, ut radii luminis minus
colligi, & ad Retinam transferri possint: Quod nam
vero præcise Cataracta sit, ex sequentibus patebit.

§. II.

Circa Cataractæ genium & formationem valde Au-
tores discrepant, inque diversam abeunt sententiam. Ve-
teres, ut *Agineta lib. VI. cap. 21.* notante quoque *Wollbo-
sio*, in *Dissert. de ophthalmicis*, Cataractam definit, quod
sit concretum, sive concretum, in cornea membra-
na, juxta pupillam, ab impuris humoris aquei particulis
genitum; quod a nonnullis ad polyposam concretionem



refertur, quo radiorum luminarium ingressus in oculos
intercipitur.

§. III.

Autores mediæ ævi, pelliculam esse, perhibent, aqueo
luniori innatantem, a cujus parte crassiori heteroge-
nea & coagulata eandem derivant, quæ, ubi ex parte
tantiæ pupillæ obvertitur, visum imminuit, ubi vero to-
ti prætenditur, omnem adimit, & cæcitatem inducit.
Recentissimi vero Scriptores uti *Antoine & Maître Jean*,
vid. *Hist. Acad. Reg. Scient. 1706. pag. 15. 1707. pag. 27. Me-
moir. pag. 654. 731. 1708. pag. 47. 1709. pag. 27.* experien-
tia & inspectione cadaverum crebra edocti, sedem Cata-
ractæ non in humore aqueo, sed potius in Crystallino
esse perhibent, huncque opacum, induratum, extenua-
tum, & emarcidum contendunt.

§. IV.

Quænam autem sententia præ altera veritatis funda-
mento nitatur, quæque in Theoria pariter ac praxi in si-
gniore obtineat usum, nunc indagabimus. Quod at-
tinet opinionem veterum, dicimus: illam ex parte tan-
tum veram esse, & ex oculorum Cataracta tantum spu-
ria quondam obfessorum, inspectione ita apparere, ubi
concrecionem quandam materiæ intra humorum aque-
um, aut raro, observarunt nonnulli. Cataracta etenim
spuria, quæ est polyposa quædam concrecio, aqueo in-
natans & ad depositionem minus apta, veterum Senten-
tiam aliquo modo defendere videtur.

§. V.

Quod concernit, alteram Theoriam de suffusione,
ubi aliqui recentiorum statuminatæ sunt, in humore
aqueo existere pelliculam, hæc minime probari potest.

Nescio

7
Nescio sane, qua ratione pellicula in foramine uveæ, vel
ante, vel pone, generari possit, cum nihil adsit, quod
cohesionem particularum fibrosarum ab impuritate hu-
moris aquei collectarum, pressione efficiat. Vis quo-
que contractilis Uveæ minime concedit, ut illud in mar-
gine uveæ, vel interdum, vel noctu appositum, in veram
membranam, mutari queat, nec datur adminiculum,
in quo mediante, hæc materia in membranam solidam
compingi ac mutari valeat, imo ipsa operatio testatur
pelliculam non sine uveæ latione abradi ac deponi pos-
se, licet summa præcautio ab operatore adhibeatur.

§. VI.

Sequitur nunc indaganda recentiorum de Cataracta
opinio, in opacitate Humoris crystallini quaerenda, quam
verissimam ac certissimam esse asserimus, hæc tamen cum
differentia, quod per Cataractam ut plurimum, non au-
tem semper, opacitatem humoris crystallini intelligere
velimus, siquidem dantur casus, ubi aliquando loco Len-
tis crystallinæ opacæ, concretum quoddam, (conf. §. II.)
in humore aqueo observatum fuerit. Cataracta itaque
describi potest, quod sit ut plurimum, opacitas Lentis
crystallinæ, raro concretum, multo minus pellicu-
la, visualium objectorum radiorum transitum ad retinam,
pro efformanda imagine, præpediens. Hanc opacita-
tem Lentis probare videntur. 1.) Figura illius cum Len-
te conveniens; figuræ etenim est rotundæ, pellicula au-
tem si adesset, irregularem plane obtineret figuram.
2.) Colorem habet cum Lente Crystallina communem.
3.) Sicut, locusque ejus fixus, constanter enim Cataracta
capitisque conquassatione suam obtinet fi-
xum, cum membrana si esset, omnino fluctuaret. 4.) Si
ocu-

8
):(
 oculus oblique abvertitur luci, circulus quidem obser-
 vatur niger umbrosus, qui indicat, Cataractam non in
 humore aqueo, sed in Crystallino, tanquam in loco pro-
 fundiori, haerere. 5.) Cataracta nonnunquam eandem
 cum Lentē Crystallina obrinet Convexitatem. 6.) Ipsa
 intusio acus, ab omnibus adornata autoribus, assertum
 meum affirmat; quia oculus non perforatur in parte an-
 tica, hoc est, pupilla, ubi aqueus hæret, sed per sclero-
 ticam retro crystallinum; adeoque post tunicam uveam
 intruditur ad deponendam cataractam. 7.) Si esset
 membranula, tunc sine humoris Crystallini perforatione
 & divulsione deprimi non posset, unde necessario ope-
 ratione instituta, nunquam rediret visio cum tamen con-
 trarium fieri animadvertamus. 8.) Experimenta deni-
 que sæpius cum oculis defunctorum Cataracta obsessis a
 Gallis hoc sæculo a *Maitre Jean* in tractat. de oculor. mor-
 bis pag. 110. & *Antoine Parisiis* coram Societate regia (vid.
 §. 3.) satis superque declarant, Cataractam revera nil
 aliud esse, quam opacitatem, indurationem crystallinæ
 Lentis, minime vero pelliculam.

§ VII

Theoria hæc ab *Antonio & Brissvo* in lucem pro-
 tracta ante 70. & ultra annos *Quarrao*, Medico & Chirur-
 go Parisiensi celebri, jam innotuit, qui eandem Parisiis in
 publicum evulgavit. Cui assentitur etiam *Rolfinckius* in
Diss. Anatom. Lib. I. cap. 3. pag. 179 qui inventum hocce
 binis vicibus sua in oculis defunctorum apertis autopsia,
 confirmat, ut & *Nuckius. Experim. 7.* hanc Sententiam, li-
 cet, obscure, fovisse videtur inquiring: *Quandoque ma-
 lum in ipso humore crystallino hæret, hujus antica super-
 ficies opaca reddita colorem mutat, salvo manente humore
 aqueo.*

aqueo. Licet quidem præfatus *Nuckius* hanc opacitatem Lentis non pro Cataracta vendiderit, sed pro Crystallini humoris obstructione a particulis terrestribus habeat, attamen re probe examinata, revera cum citatis superius Autoribus coincidit. Ex quibus intelligimus, inventionis hujus novi Systematis gloriam, nec *Antonio*, nec *Brissæo*, aliisque recentissimis, sed *Quarrao*, & *Rosinckio* esse tribuendam. Ubi sciendum, novæ hujus opinionis Ruspatores inter se non adeo convenire, siquidem alii ut *Antoine & Brissæu*, *Heister* in *Diss. de Cataracta*; perhibent, humorem crystallinum continuum manere, & in totum reddi opacum. Alii ut *de la Charrière operat. Chirurg. cap. 29.* volunt, præsentem Cataracta pelliculam quandam a Lentefecedere opacam, inque humore aqueo fluctuare, quod ex structura Crystallini humoris, liberiori aëri per aliquod tempus expositi, & in lamellas fatiscantis patet.

§. IX.

Nova hæc hypothesis, uti communis mos esse solet, nacta fuit adversarios, inter quos præcipuus est *Woolhousius*, qui in *Diss. ophthal.* innumeris experimentis, & ratiociniis illam evertere studet. Quem tamen præter *Antonium & Brissæum*, clariss. *Heisterus* in *alleg. diss.* solide refellit. Fundamentum, totius Controversiæ, variorum Autorum animum torquens, positum esse videtur in Lente Crystallina. Quam plerique Physicorum & Medicorum fingunt, esse instrumentum, ad visum necessarium, adeoque sine illius detrimento, nunquam abesse posse. Quaritur itaque, num humor crystallinus ad visum adeo sit necessarius, ut illo deficiente pereat visio? Ad hoc respondemus: Lentem Crystallinam ad comple-

B

tio-



tionem visus potius, quam summam necessitatem con-
tribuere, exemplo, Camera obscura completa, in qua tan-
tum duo vitra lentiformia ad repræsentationem imagi-
num, in oculo vero humano cum tres sint, facile uno
carere possumus humore. Quis tamen præ ceteris abesse
queat, paucis demonstrabimus.

§. IX.

Jam noto notius est, aquei humoris effluxum, ut &
vitrei destructionem, omnimodam cæcitatem post se
trahere, Lentis vero Crystallinae lesio & ablatio visum
non profus adimit. Probat hoc Cataracta depositio ubi
Lens Crystallina ad fundum oculi deponitur, sine
detrimento visus notabili. Experimento quoque *Huge-
nius*, oculo artificiali instituto, humorem Crystallinum sum-
me necessarium non esse, probat, ubi seposita lente Cry-
stallina ex oculo artificiali, objecta tamen postea visu per-
cipere potuit, tantum non adeo distincte & perspicue.
Ex quo experimento patescit, Crystallinum humorem ad
visum non adeo esse necessarium, sed tantum ejus com-
pletioni, proindeque visui accuratori inservire. Hinc
dejecta Cataracta, seu opaca Lente, visus quidem redit,
sed non adeo accuratus; siquidem qui ab hoc malo li-
berati sunt, majora bene distinguunt, sed minutissima
objecta haud accurate discernunt, hinc opus habent vi-
tro convexo, quo mediante accuratori visus defectus
compensatur.

§. X.

Demonstrata Cataractæ vera indole, ac naturâ, com-
petit illam probe distinguere ab aliis affectibus, cum qui-
bus cognationem quandam habere videtur; v. g. a *Gut-
ta serena, vel Amaurosi*, germanis *der schwarze Staar*,
ubi

ubi nullam læsionem in oculo percipimus, sed ratione coloris, nitoris externi, alteri æqualis est, visus tamen abolitus reperitur. *A Leucomate, vel albugine*, quæ est affectus corneæ, inæqualis ob maculas, ac cicatrices, exterius apparentes, reddita; Ab *Urgua*, ubi extra corneam præternaturalis orta membrana. Ab *Hypopye*, in quo materia purulenta in camera anteriori fluctuat, & humorem aqueum reddit turbidum; a *Glaucomate*, quod malum senibus familiare, & vitium humoris vitrei, in ejus opacitate, & colore glaucò consistens, Germanis, **ein Katzen-Auge, oder der graue Staar.**

§. XI. Antequam causas Cataractæ inquiremus, haud inconsultum fore arbitror, si brevem quandam lentis Crystallinæ, in qua Cataractæ sedes quaerenda, descriptionem præmittam. Corpus autem est summe diaphanum, utrinque convexum, magis tamen in parte postica, quam antica, in vitrei humoris sinu blande decumbens, solidius vitreo, ligamento ciliari libere suspensum, ejusque ope mobile, ex variis lamellis arcte invicem coherentibus constans, in propria membrana cum sequentis humoris continua, quasi in vagina, ne e loco & sinu lapsu & concussione capitis, cedere queat, (a *Ruyshio* Crystallina, ab aliis arachnoidea vocata) tenetur. Hujus jam allegati *Ruyshii* injectiones subtilissima detexerunt, quod non solum jam dicta membrana arachnoidea sed etiam ipse humor Crystallinus, variis ac multis vasis, non sanguinem, sed limpidissimum humorem lymphaticum cum viscidum vehentibus, gaudeam; qui humor glutinosus quasi inter lamellas secretus, simul cum vasculis intertextis combinationem, & cohesionem lamellarum efficit:

efficit: Lamellæ Lentis, ex quibus constata, in exsic-
cato, vel cocto Chrystallino demonstrari possunt, qui ad
similitudinem ceparum decorticari potest; vid. Magnific.
Dn. PRÆSIDIS instituta cum Lente Crystallina certe cu-
riola experimenta, in *Diss. de morbis oculorum præcipuis*,
§. 21. pag. 20. allegata.

§. XII.

Causa hujus affectus proxima esse videtur, vel ob-
structio vasculorum subtilissimorum, non Tunicam so-
lum vitream perreptantium, sed etiam eorum, quæ in
Corpus intrant, vel etiam concretio eorum, quando
vasis nutrientibus ruptis, aut alio modo destructis, va-
scula Lentis inaniuntur, collabuntur, concresecunt, ac
pori illius ita immutantur, ut ad radios transmittendos
inepti fiant, Lensque opaca & minor reddatur. Remo-
te esse possunt causæ, omnia, quæ calorem in oculo ve-
hementer augent, circulationem humorum in oculo im-
pediunt, quo vascula constringuntur, exsiccantur, con-
crescunt, ac successu temporis opacitatem inducunt, ut
ab aqua fervente, in oculum incidente, pulvere pyrio, sul-
fure, &c. Omne porro id, quod circulationem in Len-
te reddit difficiliorem, ut affluxus humorum versus ca-
put, & subsequentes ophthalmia vehementissima, Mœ-
ror, Tristitia &c. Hinc vitio huic frequentissime expo-
siti sunt illi, qui periodicis cephalalgis, continua acri hu-
morum ad oculum defluxione, molestantur; illique qui
ignis molestias & injurias ferunt, sicut Fabri, Chimici, Me-
tallurgi, Campanarii. conf. Ramazzinus, de morbis arti-
ficum. Antonius quidem, pag. 125. 127. 153. pro vera Cata-
ractæ causa, vendit ac acidum: Cataractam, inquit, esse
opacitatem Crystallini, ab humore acido produclam, qui in-
sinnan-

13
siuando se in poros Crystallini dissoluit fermentum ejus
radicale, conjungit particulas molles, fibras ejus componen-
tes, eas indurat, exsiccaturque &c. An vero recte senserit,
cujusvis judicio relinquo.

§. X'II.

Variæ apud Authores differentiæ occurrunt Catara-
ctæ, notabiles autem & veras solum notare volumus. Id
circo incipiens nobis vocatur, ubi quandam imbecillita-
tem visus ægri accusant, ob Lentem obscuratam, cujus
signa enarrantur. §. XIV. *Confirmata*, ubi pupilla perfe-
cte jam opaca fuerit, soliditatem debitam obtinuerit,
minimeque ægri objecta, vel lucem, e Tenebris distin-
guere possint. *Spuria*, ubi Concrementum in humore
aqueo. vid. §. II. vel mucosa quædam materia in humore
aqueo contenta, quæ impedit, quo minus radii ad reti-
nam recta linea transferri possint, extraordinaria quo-
que habet Symptomata. *Particularis*, ubi Macula al-
bicantes in Pupilla observantur, & ex parte modo Lens
obscuratur; *Vera, totalis, & matura* vocatur, ubi tota
Lens mutavit naturalem colorem, perfecte reddita opa-
ca, aliosque colores induit, ut albicantem, gryscum,
glauicum, vitreum, quandoque flavum, viridem, chaly-
beum, castaneum, & nigrum. Optimæ vero notæ Ca-
taractæ sunt, quæ Cinericiæ & perlarum instar colorata.

§. XIV.

Signa Diagnostica recentis ac incipientis Cataractæ,
ex relatione partim ægrotantium, partim ex aspectu, no-
vimus. Ex hoc; si in Pupilla nigricæ mutatio quædam,
non vero perfecta opacitas, observatur. Ex illa; si quan-
dam hebetudinem, seu turbationem oculorum accusant,
ac si per fumum, vel nebulam transpiciant, ut minora

non recte distinguere possunt, donec successu temporis, nebula facta densior, qua omni vili privantur. Quibusdam in principis punctula nigra, musca volantes, araneorum tela, filamenta, floeci in aëre haerentes, ob oculos obvolant. Alii, objecta externa divisa & multiplicata vident, opacitas enim, si in medio existit, divisum quasi repræsentat objectum. Alii tenuem Telam ob oculos expansam habere putant, quæ magis magisque occrescit, ac densitate majorem induit, donec omnis visus ademptus, & ad maturitatem flectit cataracta.

§. XV.

Tempus vero, quo venit ad maturitatem Cataracta, non absolute determinari potest, in nonnullis citius, in alijs tardius. *Paulus Barbetto, in Chirurgia c. 16.* contendit, *tribus primis annis Cataractam adeo mollem esse, ut acus ductum sequi recuset, at postea eam duritiem assumere, ut nulla arte solvi queat.* Nunc intra annum unum, vel alterum, nunc intra aliquot menses, pro varietate humorum dispositione corporis, externorumque irruentium impetu, ad maturitatem pergit, pro indeque depositioni apta fit. Si enim Lens nondum perfecte opaca, ob molliem, vix acus sustinere non potest, sed facile dilaceratur, ac in frustra secedit. *Fernelius Lib. 5. Pathologiae cap. 5. & Fabricius Hildanus, Cent. 5. observ. 14.* habent exemplum suffusionis, unius spatii diei exorta ac maturata.

§. XVI.

Pro variarum circumstantiarum & causarum ratione, Prognosis quoque admodum est dubia. Si Lens ad maturitatem pervenerit, nimirumque margini uveæ adhæreat, facili modo acu deponi potest ab experto Chirurgo. Si vero

vero pupilla semper manet immobilis, quod exploratur, si palpebrae clausae leni frictione agitentur, iisque apertis, oculus subito inspiciatur, & in tenebris, neque amplior, neque in clara luce, angustior facta, sed semper manserit ejusdem magnitudinis, tunc ut Chirurgus operationem non suscipiat, est suadendum. Idem tenendum, si fustis, ictu vehementiori, instrumento gladiatorio, excitata fuerit. Porro in senibus, cachecticis, scorbuticis, iisque qui continuis capitis doloribus & ophthalmiis frequenter exercentur, depositionem respuit omnem Cataracta. Depositionem quoque recusat, quae colore gaudet caeruleo, vel immatura, ac incipiens est. Cataracta itaque ad deponendum apta, censetur illa, quae colorem obtinet margaritae simillimum, aut ad cineritium inclinat. Et operatio cum certa successus spe instituitur, si subjectum, mediae aetatis, bonis scateat succis. Ac in his etiam, si vitium non adeo obfirmatum, solis interdum remediis, sine operatione cataracta tollitur. De quo tamen jam pluribus.

§. XVII.

Provolvitur igitur ad Cataractae ablationem, & sanationem, quae apud practicos duplicis est generis; medicamentis, aut operatione. Ad sanationem per medicamenta, incipiens requirenda, ubi Lentis obscuratio nondum est plenaria, vasa nondum rupta, vel in solidas fibras concreta, aeger in media adhuc aetate constitutus, maculae albicantes modo apparent in pupilla. Partem quae non omnem visum amisit, sed lumen, a tenebris distinguere potest. Ab Antonio & aliis curatio per medicamenta tanquam frustranea rejicitur; perpenlis vero jam dictis circumstantiis, tentare omnino possumus, an per
medi-

medicamenta convenientia obstructa vasa referari possint, aut ad manus curationem constituendum sit. Et sic, rite varii Auctores affirmant, quod sepius Cataractæ incipientes, medicamentis sanata fuerint; vid. *Cels. lib. 7. cap. 7. Paccus. lib. 16. cap. 19.* putat, quod radii luminares, vel refracti a corpore splendenti, pupillam casu fortuito intrantes, incipientem tollere possent. *Aqua pendens in operat. Chirurg. c. de suffus.* commendat suam cucurbitam ocularem, cuius beneficio medicamenta applicari vult, & magnam exinde promittit utilitatem. *Nuckius in Experim. Chirurg.* infusum eroci metallorum, & sanguinem Columbinum calide instillatum commendat. Nostri quoque ævi Practicorum Experientia testatur, quod incipientes, sanationem per medicamenta interdum non respiciant sed malum tollant.

§. XIX.

Jam non abs re erit, si medicamenta tam interna, quam externa, hunc in finem proficua, paucis recensam. Ad referendam itaque lentis ex parte capacæ obstructionem, & materiam peccantem eliminandam, conducunt.

- 1.) Laxantia & evacuantia, ex materia medica nobis nota.
- 2.) Sudorifera, & sanguinem purificantia, ac corrigentia, ut decacta Lignorum, infusa thei formia &c.
- 3.) Errhina, quæ humores abundantes non modo derivant, sed per os, & nares etiam educunt. *Boyleus in Philosoph. Experiment.* testatur, solo Turpetio minerali Paracelsi ad grana tria, naribus attracto, multos a cæcitate curatos fuisse.
- 4.) Collyria, ex aquis optimalibus parata, ut aqua verb. Euphrat. Chelid. mag. Valrian. Fœnic. Cyani. Rosar. Peau d'Arquebusade, aqua Reg. Hung. sufficienti quantitate ad fen. & ros. diluta. Vinum


rubell, cum semine scœn. decoctum, tepide instillatum oculo. Halius fœniculatus, juniperatus, caryophyllatus, Vapor insul. Thee & Coffe. 5.) Masticatoria ut Cubebæ, Myrrha, Mastix, Radix Pyrethri, Zedoar, Angelic, Carlinæ, Acori veri, utrum vero ex horum usu magna utilitas ad nostrum scopum quærenda sit, docebit, qui periculum faciunt, experientia. Si tamen internis aliquid obtinendum, erit hoc 6.) permercurialia, & cinnabarina, quæ magna, colliquescendo & resolvendo humores spissos, virtute pollent. Ex præcipuis autem est sulphur antimonii fixatum *Magnif. Dn. PRAESIDIS*, quo, se aliquoties discussisse suffusionem mihi asseveravit.

§. XIX.

Ne vero nova congestio & humorum affluxus versus oculos oriatur, commendantur media ex fonte. Chirurgico defunta. Ur, 1. Si corpus Plethora laborat, & multitudo sanguinis in causa, venæsectio in loco, a parte affecta remoto instituenda, vel brachio, vel pede. 2. Cucurbitulæ siccæ & scarificatæ, locis consuetis, dorso, brachiis cruribus, adplicatæ, de quibus *Galen. lib. 13. Method. medendi. cap. 19.* summo capiti adhibitis, oculo laborantibus egregium auxilium promittit. 3. Veficatoria, nuchæ aut lateribus Colli pone aures adplicanda, pro meliorque derivatione aliquamdiu aperta servanda. 4. Setacea, per cervicis cutim trajicienda, per tempus relinquenda, & quotidie a sordibus mundificanda; vid. *Paracum lib. 9. cap. 21.* 5. Fonticuli, in brachio, loco solito constructi, postea rite tractandi, quotidie mundificandi, & per annum ac ultra aperti servandi.

§. XX.

Jam dicta & allegata varia medicamenta interna,
extre-



externa, & remedia Chirurgica, egregiam quidem, spissos humores resolventem virtutem habent, item in principio suffusionis, ubi obstructio lentis non adeo pertinax soepius tamen frustra, teste experientia, adhibentur, & ad operationem Chirurgicam, si ægris amissum visum restituere volumus, confugiendum. Antequam vero, ipsam operationem exponamus, prius monita quadam ad Chirurgos tam, quam ægrum præmittenda sunt.

§. XXI.

Quivis Chirurgiæ cultor veram cognitionem Lentis, & structuræ oculi, ex anatomica scientia habere debet, quo sciat, quid deprimendum, cui parcendum, ne temere quid lædat. Deinceps necesse est, ut institutam, ab aliis expertis Chirurgis vel Medicis, de positionem, sapius viderit. Porro sit intrepidus, acie oculorum instructus, manu firma, vel si forte imbecilliori, ut fulcro nitatur. Tum sit ambidexter, id est, agilitate utriusque manus præditus. Si enim requisita Chirurghi, quæ *Celsus lib. 7. de re media* desiderat, omnibus ferme operationibus peragendis competunt, certe in de positione Cataractæ delicata satis ac subtili necessaria. Præterea de crigine, maturitate, & speciebus Cataractæ edoctus, an nempe malum sit simplex, vel compositum & complicatum, cum vitio corneæ, Glaucomate, gutta serena &c. Demum certus sit de ætate, qua depositio institui potest. Senilis enim & puerilis ætas operationem non admittit.

§. XXII.

Respectu ægri, Chirurgus consideranda hæc habet; an nempe sit Plethoricus, atque tunc uno vel altero die, ante operationem vena secanda; an alvus adstricta, quæ cle-

nusculum, & mediante acu, forcipis in modum fa-
brefacta, Cataractam dejectam extrahi posse, ad
præcavendum, si in oculo remaneret, ejus ascensum.
Sed quam difficilis sit hęc operationis modus, opti-
me norunt nostrates ocularii, operationem hanc ju-
re rejicientes. Variæ acuum delineationes apud *Hei-
sterum in Chirurgia Tab. 12.* exstant. Ex quibus figu-
ram 5. præ aliis Author commendat. Nam rotunda,
apice tenui donata acus, a nostris quibusdam Chirur-
gis etiam usurpantur; his vero facillime humor di-
lacerari, minusque firmiter acus insisterere potest,
sed gliscit. Optima itaque est quæ ab *Heistero* sub
fig. 5. delineata præfertur; illaque cujus delineationem
Guillemeau. Operat. Chirurg. tab. 12. sub E. F. G. H. sug-
gerit. Quæ a recentissimis oculariis nunc adhiberi
solet.

XXIV.

Tandem pervenimus ad operationem ipsam,
quæ tam difficilis non est, ut a vulgo & veteribus ha-
betur & venditur. Requiritur saltem manus ha-
bilis & exercitata. Operatoris etiam est officium,
ut curet, quo variâ adhuc ante operationem præsto
sint, nempe. 1. Ministri, alter, qui ægri caput de-
tineat, alter qui necessaria operatori porrigat. 2.
Collyrium, ex aqua Rosarum, sceniculi, cum albumi-
ne ovi conquassatum. 3. Splenium triangulare ut
oculus non solum tegatur, sed cavitas quoque or-
bitatis expleatur, quo fascia eò melius applicari possit,
4. Fascia ad deligationem oculi apta, describuntur
a *Doctiss. Professore Basso in tractata de Fasciis pag. 108.* Si

Si depositio in uno oculo instituta fuerit, fasciâ oculo simplex ab Autore dicta, si in duobus, P'ocil double sumenda.

§. XXV.

Post apparatus instrumentalem, pariter ac deligatorium, æger collocatur in sedili humiliori, oculis luci obversis, quorum sanus deligatur, ne operator ex motione oculi sani, quem alter semper sequitur, impediri queat, nec se moveat patiens cum corpore, vel oculo, aut multa in operatione loquatur. Postea operator, ex regione opposita sedili altiori insidens, appropinquat ad ægrum, cruraque ipsius, divaricatis suis cruribus excipiat, ac jubeat ut Minister a tergo adstans ægri caput firmum teneat, oculum æger aperiat, versusque nasum torqueat. Quo facto Chirurgus, seu Medicus, sinistra manu palpebras affecti sinistri oculi deducat, vel specillo oculum obstruet, manumque dextra (si sinister) sinistra (si dexter oculus laboravit) acum bene politam, per pannum aliquoties transmissam, ut parum incallescât, pollice indice & medio digitis admoveat, & brachio, vel fulcro innitente, vel digito annulari & auriculari, processui Zygomatico impositis, acum per partem opacam, seu scleroticam, ad straminis distantiam ab iride, sensim volutando, versus angulum perpendiculariter intrudat. Ad interiora penetrasse acum, ex nulla amplius resistantia occurrente percipitur, ubi tunc suspensa manu movenda leniter acus, inclinanda ad suffusionem, & lens obscurata leni motione acus, a tunica Ruyschiana, & ligamento ciliari

libe-

liberanda, & sub humorem vitreum in fundum oculi deprimenda est. Facta depositione, per momentum acus in fundo oculi detinenda, quo impediat, ne suppressa lens rursus refurgat, novamque de positionem postulet. Tandem leniter ac blande, palpebris compressis, acus extrahenda, oculus occludendus, & splenio ac Collyrio convenienti, intubato, deligandus est. Quidam operatione peracta Phiolam aqua repletam, & luci obversam, ad videndum, an colores æger distinguere possit, commendant, sed male, quia hoc modo Cataracta facile a subitanea commotione inconsueta, rursus ascendit, & pristinum occupat locum. Postea æger in lectum supinus, capite elevato, tenebroso conclavi, per octiduum reponendus. Durante hoc tempore parum se moveat, loquatur submissa voce, non tussiat, sternutet, aut cachinnetur. Neque conducit, ut esculenta dura masticatione indigentia assumat. Ad alvum & vesicam exonerandam non surgat, sed vas quoddam, pro excipiendis excrementis, ano submitendum; quia hæc omnia Cataractæ ascensum excitare queunt. Elapsis aliquot diebus, cessante inflammatione, confortantia admovenda oculis, valvæque fenestrarum sensim removendæ & admittenda lux, quo oculus magis magisque lumini rursus assuescat.

§. XXVI.

Interea cibum capiat mollem, non durum, salsum ac aromatibus valde conditum, ut juscula

ex

ex carnibus & vegetabilibus, ova forbilis, pruna, cerasa cocta, & olera mollissima, ad alvum simul laxam servandam. Abstineat a potu spirituoso, cerevisia fortiori, vino, aliisque caput debilitantibus, & humores ad oculos concitantibus. Sed bibat cerevisia secundariam, vel decoctum hordei, avenaceum, leniter acidulatum & edulcoratum. Hac victus ratione peracto & ultra dies uti, & deligationem quotidie semel, vel bis reiterare decet; donec omnis inflammationis subsequens metus evanuerit.

§. XXVII.

Coronidis loco, quædam adjicienda sunt de præsertione a Cataracta, quis imbecillitate laborer oculorum, nebulam aut fumum aliamve obscuracionem ante oculos versari sentit. Ad incipientem lentis Crystallinæ opacitatem, in die sæpius halitus fœniculi masticati, vel baccarum juniperi, aut Caryophyllorum, itemque Mastichis, exceptus, vel vapor infusi Thee & Cafæ minus aqua ad ambusta Gallorum instillanda. Hæc omne ferme absolvunt punctum, præsertim si oculus a frigore, & fortiori radiorum valde luminosorum irruentium vi defendatur; hand neglectis, si opus, internis, sanguinem purificantibus & diluentibus, ut Infusis Herbarum, Theriormibus, decoctis lignorum, & laxantibus blandioribus.

F I N I S.

FRIDERIC. HOFFMANNVS

h. t. PRO-RECTOR.

NOBILI ET PRAECLARE DOCTO
DN. CANDIDATO.

S. D. P.

Magnum merito & vine benignitatis munus vene-
ror, quod qui parentem in cathedram duxi, jam
etiam filium ducam. Triginta enim & quod
excurrit elapsi sunt anni, quum primum mihi
Tuis, Candide praestantissime, Dnus Parens, nunc
beatus, ianotesceret & a me post annum institutionem,
summos in Medicina honores acciperet. Ex eo ipsum cen-
amicum colui candide & quantum in me fuit ad fortunam
ipsum in melius provehendam opere & consilio contuli
omnia, qui laudi mihi duco praestasse quamplurimis auxi-
lio meo indigentibus, licet ab omnibus non aequo grato af-
fectu recipiatur. Quin eo loco habui, ut, quum in au-
lam Regiam evocarer, ipsum dignum judicarem, cui &
munus meum, & egros curae meae commissos, antea
concrederem. Nunc quidem magnopere doleo, ipsum ma-
turius esse ereptum, lator tamen simul, dum video, Te
patris vestigia legere cum cura. Perge igitur qua capisti
via, tuere nomen Parentis, amplifica & utere ubique suc-
cessibus rerum prosperrimis. Sic fausto omine suscipe Do-
ctoris dignitatem, de qua Tibi gratulor, & certo persua-
sum habe, me Tibi quoque benevola voluntate desere
nunquam. Vale. Scribeb. Hala Idib. April.

MDCCLXXIX.







Uf 1397

ULB Halle
004 111 818

3







10.9

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-
CHIRURGICA

DE

CATARACTA

QVAM

PROPITIO NUMINE DIVINO

PRÆSIDE

PRO-RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICO

DN. FRIDERICO HOFFMANNO

ORDINIS MEDICI SENIORE ET h. t.
DECANO

PRO GRADV DOCTORIS

LEGITIME IMPETRANDO

d. Martii MDCCXXIX.

PLACIDE ERVDITORVM DISQVISIONI SVBMITTIT

AVCTOR

MAVRITIVS HEINRICVS HENRICI

HALA - MAGDEB.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

Typis JOH. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.